8357 v/m 21
LAHS Medical Library

DE

SINGULARI QUADAM SUA IPSIUS MEMBRA AMPUTANDI MONOMANIA IN HOMINE ALIQUO OBSERVATA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PSYCHIATRICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLIV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

HENRICUS OHM

MONASTERIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. TEMMINK, MED. ET CHIR. DR.

A. BORBERG, MED. ET CHIR. DR.

H. TIETZE, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Harvard Medical Library

VIRO

ILLUSTRI CELEBERRIMO

BERNARDO LANGENBECK

MED. ET CHIR. DOCT. PROF. PUBL. ORD. REGI A CONSIL. MED. INT. INSTITUT. CLIN. CHIR. OPHTHALM. UNIVERS. FRIDERICAE GUILELMAE DIRECTORI ORD. COMPL. EQUITI CET. CET.

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO REVERENDISSIMO

BERNARDO MEESE

VERBI DIVINI MINISTRO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SUMME COLENDIS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

Componendae dissertationis inauguralis officio satisfacturus casum mihi desumsi describendum a me ipso observatum. Etenim quum vernali hujus anni tempore apud amicum Reismannum, medicum practicum, aliquamdiu versatus curandis aegrotis operam darem, homo obvenit, qui singulari quadam mania correptus, sui ipsius corporis complura membra amputaverat. Quod valde miratus, quippe qui de ejusmodi facinoribus nunquam audiverim, in historia illius accuratius inquirenda praecipuum studium collocare non alienum putavi. Nec solum in hoc consilio persequendo amico strenuo usus sum adjutore, verum etiam hic, quum ab eo peterem, ut, quae eruta suppeterent, evulgandi daret veniam, id non recusavit. Quod beneficium in me collatum non possum quin grato animo hic loci recorder. Afferam igitur, apud scriptores, quotquot eorum libros investigaverim, nullum me invenisse casum illius similem. Quamvis enim exemplis non careamus hominum monomaniacorum, qui vel animi perturbatione aliqua vel mentis errore pulsi sua ipsorum vel aliorum hominum corpora offenderint, sane qui ex proprio et ori-

ginario, ut ita dicam, voluntatis impetu quodam illud fecerint, perpaucos invenies. Qui quidem eo continentur monomaniarum genere, quod *instinctivum* appellavit Esquirol. Itaque quamquam ad hoc genus casum nostrum omnino licebit referre, tamen singularem propriumque eum inter ceteros obtinere locum, facile intelligemus. Nam quum illius generis monomaniacos vel incendia legamus excitasse, vel alios homines aggressos esse, ut eos interficerent, vel ipsos sibi mortem conscivisse, originario quidem et invicto animi motu ad talia facinora coactos, nullus suppetere videtur casus hominis, qui eadem causa impulsus in mutilando suo ipsius corpore versatus sit. Nec vero hoc loco omittam tres illos vel quatuor casus a Textore celeberrimo propositos, quibus ille novam quandam maniam statuendam ratus est, quam *operatoriam passivam* nominavit [1]). Disseritur autem de hominibus, qui morborum simulatione id conati essent, ut operationes in corpore suo instituerentur. Equidem, quum propter angustos opusculi fines de hac re abundantius loqui nequeam, satis habeo, ingenue profiteri, multum me adhuc de casibus illis dubitare, quippe in quibus omnia desiderem, quibus probetur, homines illos re vera fuisse maniacos. Quae quidem ab Heyfeldero celeberrimo penitius disputata sunt, id quod opus infra citatum testatur [2]).

[1]) Ueber mania operatoria passiva cet. Med. Correspondenzblatt bayerischer Aerzte 1844. No. 15.

[2]) Ueber mania operatoria passiva nach Textor von Dr. Heyfelder, Schmidt's Jahrbücher 1844. Bd. 44. S. 97.

I. MORBI HISTORIA ET EPICRISIS.

Gerardus Henricus Koebbemann natus S . . . . is, qui pagus in regione Monasteriensi situs est, fratrem habuit et sororem ipso minores natu. Pater ejus industria diligentiaque fundum et domum quandam minorem assecutus, vir probus ac prudens, apud cives suos magna usus est auctoritate. Mortuus est anno MDCCCXL, neque dubito quin tuberculosi pulmonum affectus fuerit. At mater illius paucis post nuptias annis praeterlapsis turpi ebrietati se dederat, quo factum est, ut et crebris certaretur inter eam et ceteros domi incolas jurgiis rixisque et res domestica valde ad ruinam vergeret. Quo quidem vitio quum illa marito defuncto in dies magis magisque obrueretur ipsaque maligna et improba esset mente, fieri non potuit, quin apud pagi incolas in mala esset fama. Brevi tempore ante ejus mortem, quam sexaginta et quatuor annos nata occubuit, erysipelate phlegmonoso cruris sinistri affecta est, quod quum in gangraenam exiisset, partes molles totius prope cruris foedo interitu dissolvit. Complures autem haemoptoes impetus, qua aegrota illo tempore simul laborabat, ad mortem properandam permultum valuerunt. Animi morbo aliquo nec parentes ipsos neque alium quemquam consanguineorum affectos fuisse

contendunt. Quod attinet ad filium illum natu maximum, de quo jam disserendum est, propinqui narrant, nullo prius corporis morbo eum laborasse; eo majore autem postea animi morbo correptum vidimus.

Quanto pluris interest, memorabilem hujus hominis historiam accurate abundeque exponere, itaque viam satis amplam invenire, qua singulares ejus errores probe intelligamus, eo magis dolendum est, quod illud difficillime nobis continget idque duplici ex causa. Primum enim parentes illius et ceteri consanguinei nunquam moveri poterant, ut medici alicujus curae eum committerent, nedum hunc ad finem domo in nosocomium aliquod deducerent, sive rei familiaris ratione parsimoniaque impediti fuerint, quominus id facerent, sive illum re vera aegrotum non existimaverint. Quo factum est, ut medicae quidem de eo observationes mancae tantum et perquam dispersae nobis suppetant. Deinde autem aegroti ipsius proprium erat, ut omnia, quae apud se cogitaret ageretque, quantum id quidem ad singularem animi sui pertinebat conditionem, quam occultissima et quasi in mysteriis teneret. Quod imprimis contra parentes et ceteros propinquos fecisse dicitur; quamquam certe ex omnibus patere videtur, horum observationes levissimas fuisse et parum diligentes. Quam ipsam ob rem aegroto haud difficile factu fuerit, ut, quae celare vellet, tam perfecte et per tot annos celare posset. Quod ipsum ex rerum, quae jam instat, narratione latius apparebit. En igitur causa, cur, quae graviora de aegroto a propinquis ejus audivi, perexigua tantum esse et quasi in rerum adumbratarum lineamentis consistere potuerint. Quamquam vero aegrotus, ut opinari licet, in homines extraneos non aeque occultum

tectumque se praestiterit ac in suos, vel etiam fortasse consiliorum suorum plus minusve conscios eos fecerit, tamen hanc rem nullum nobis afferre videmus adjumentum, quoniam illi superstitione quadam et singulari et invicta impediantur, quominus quae sciant eloquantur. Etenim notandum est, plurimos illius pagi incolas aegrotum nostrum re vera aegrotum non duxisse, sed hominem, daemone quodam obsessum. Opinio autem de viribus quibusdam daemonicis in homines bestiasve collatis per illas regiones mirum quam divulgata est. Saepe daemones ejusmodi domibus vindicantur, quarum incolae moribus cultuque vivunt admodum depravatis. Corripiuntur igitur vel a principio, quorum praecipue culpae illud tribuitur, vel etiam integerrimus quisque alius incola, vel etiam bestiae. Imo tam immodica est illa superstitio, ut, si quis omnino mala quadam fortuna infestetur, id viribus quibusdam daemonicis effectum esse credant. Quae quidem hoc loco amplius exponere nihil nostra interesse videtur. Quum autem tali teneretur aegrotus noster opinione, non mirandum est, quod aliorum de eo narrationes tam debiles parcaeque exstant. Etenim illi homines, quominus de tali homine daemoniaco omnino loquantur, terrore quodam impediti sunt, ne ipsos daemon invadat. Sed haec hactenus. — Jam pergens ad accuratiorem casus nostri descriptionem ad ea revertere licet, quae in praefatione commemoravi: venisse eum brevi tempore ante mortem aegroti paulisper in observationem meam, quippe quum particeps essem curae, quam amicus meus Reismannus in matre illius erysipelate phlegmonoso affecta instituerat. Illo autem tempore quum perquirendae illius historiae totique indoli una cum amico permultam operam navarem imprimisque id spectarem, ut

ipsum explorarem, ab hoc quidem consilio mox destiti, quoniam ille nullo modo moveri poterat, ut aliquid de se ipso eloqueretur. Quamvis igitur manca ex his omnibus se praebeat narratio et quamvis multa graviora non satis explorata relinquenda sint, tamen nonnulla offerre mihi videor, quae medicorum interesse possint; certe quidem casus ille, et minus ample expositus, quoniam in rariori-bus est, dignissimus videtur esse, qui illis, quae de variis monomaniarum generibus cognita habemus, adnumeretur.

At aegrotrum nostrum inde a puero nullo corporis morbo affectum fuisse, jam supra diximus. Imo etiam puerilis ejus aetas nihil obtulisse videtur, ex quo suspicari possimus, illo jam tempore aegrum animo eum fuisse. Linguae et pedum usum aeque mature assequutus est, ac postea frater sororque. Vitia quaedam puerilis indolis saepe propria, ut morositas, animi obstinatio, iracundia, nunquam in eo observata sunt. Facile puerorum ludos adibat, in rixis nunquam versabatur, aequalium insanias sem-per fugit. Habuisse autem dicitur haud exiguam corporis dexteritatem quandam, quam praecipue in crepundiis mino-ribusque instrumentis domesticis conficiendis patefecit. Quas quidem ad res jam ab infantia eximio quodam amore eum deductum fuisse, apud omnes constat. Eo autem tempore, quo scholam frequentabat, intellectus memoriaque valde debiles in eo apparuerunt, ita ut, quamvis magnam operam praeceptor ei impenderet, perpauca tantum addisceret et in hac re ab omnibus aequalibus superaretur. Quod vero unquam aegre eum tulisse, nemo vidit; omnino ambitionis, invidiae, animi violati nullum signum prae se ferebat; quamquam certe scholae librorumque suorum ne minimum quidem taedium habere videbatur. Propter lentitudinem

morumque lenitatem ab aequalibus multimodis vexatus semper aequo animo id tulisse dicitur. — Quindecim igitur annos natus parum exculto animo et cum perquam mediocri scientia e schola dimissus quum jam pubesceret, neque in dictis ejus nec factis quidquam apparebat, ex quo colligeres, animi perturbationem aliquam in eo exortam esse. Interim rebus rusticis operam dare coepit, et id quoque amore quodam praecipuo fecisse videtur, quum in illis multo majorem quam in quavis alia re diligentiam et perseverantiam praestiterit. Qui amor num fortasse ex eo profectus sit, quod sciret, coloniam paternam hereditate aliquando se consecuturum esse, non satis constat, quum de tali re nunquam verba fecerit. Equidem eam sententiam probo, qua aegrotum, quippe cujus animi facultates imbecillimae essent, quum tamen laboris appetitus quidam in eo inesset, id praecipue laborum genus sibi sumpsisse arbitremur, quod corporis magis quam animi vires postulaverit. Si vero ad illam respicimus lentitudinem, qua aegrotus noster ejusmodi irritamenta, quibus aliorum hominum animi valde moveri solent, inania vanaque fecit, commemorare licet, omnium inter consanguineos rixarum jurgiorumque, in quibus non raro ad manus et pugnam deducebatur res, illum nunquam participem fuisse, quamvis saepe maxime ejus interfuerint et certe quidem otium et voluptatem ejus magnopere turbaverint. Quod si notatu dignissimum videtur, jam illo tempore alia duo momenta in aegroto nostro exstiterunt gravissima. Etenim primum omnes ejus cognati amicique in eo consentiunt, perpaucos annos postquam e schola dimissus esset, eorum, quae didicerat, omnem illum perdidisse memoriam, ita ut nec legere, nec scribere, nec preces sanctas repetere ultra

posset, neque omnino in eo remaneret ulla rerum divinarum notio. Quod non solum in ea re cerni potuisse dicunt, quod aegrotus in his rebus nullum longius studium collocasset, sed ex ipsis ejus verbis; quae quin vera fuerint, ex omni rerum conditione dubitari non potest.

Alterum autem memorabile id est, quod aegrotus in amore illo crepundiorum omniumque rerum minorum, quibus pueri gaudere solent, persistebat ita, ut magnam saepe copiam eorum asservaret. Praecipuum autem amorem habuisse dicitur horologiorum, quorum interdum tria vel quatuor numero in vestimentis secum portaverit. Quod singulare studium usque ad mortem non deposuit. Vexatus autem et objurgatus ob hanc rem a propinquis se nihil respondit praeter hoc de vita sua habere et hoc se velle habere. Sed pro crepundiis impetrandis quum pueros interdum adiret, fieri non potuit, quin ab his mirus quidam homo haberetur omniumque irrisione luderetur, quod nihil eum offendit. Idem ab aequalibus ei contigit, utpote qui ab eorum ludis saltibusque plane se abstineret. A spirituosis potibus propterea sibi temperasse dicitur, quod pecuniam iis consumere non voluisset, sed libenter sumpsisse, si quando dono eos accepisset. Id quidem constat, malum matris exemplum nullum vim in eum exercuisse; nunquam enim ebrius visus est. Feminarum amore prorsus caruisse videtur; omnino nullum vel dictum, vel factum, vel aliud signum exstat, ex quo pateat, quidquam eum tribuisse veneri.

Itaque quum aegroti nostri animum et mentem illo tempore eum evolutionis gradum non superasse videamus, quem puer obtinuerat, quin etiam eum quodammodo perdidisse, quantum id quidem pertinet ad eorum, quae in

schola didicerat, memoriam, contra corporis evolutionem omnino normalem invenimus. Dico eas corporis partes, quae oculis cerni poterant quaeque forma, volumine, ratione inter se, vel etiam functionibus, quibus praeerant, a normali conditione non abhorrebant. Sed mox in nonnullis aliis organis occultioribus anomaliae certae apparuerunt haud exiguae. Imprimis jam pubescens aegrotus ingens ostendebat ciborum desiderium, quod quidem per annos auctum non aequam alebat rationem cum corporis volumine omnique conditione. Recipiebatur autem triplum vel quadruplum eorum, quae operario cuique validissimo sufficiant. Neque etiam in eligendis cibis quidquam diligentiae adhibuit, quum farraginem sumeret vel solani tubera ad bestiarum usum parata, si quando alia nutrimenta non haberet sibi aptiora. Praecipuam cupiditatem habuisse dicitur ciborum pinguium, quum, ut exemplum afferam, butyri magnas partes, quae librae ipsum pondus attingerent, assidue consumeret. Saepe bulimo graviter tentabatur, cui eo occurrere studebat, ut domo non abesset, nisi pane vel alio quodam cibo munitus. Quae vero quotidianis sedibus emittebantur, justam rationem aluisse contendunt cum iis, quae recepta fuerint. Alvi obstructionibus et, qui ex his enasci, solent morbis quibusdam nunquam laboravit. In vesica autem urinaria id vitiosum repertum est, quod nocturna ille urinae incontinentia premebatur; quo malo usque ad mortem non liberatus est. Fortasse id eo effectum sit, quod ille consuetudinem habebat, gravissime dormiendi, ita ut, etsi duodecim vel sedecim per horas dormisset, tamen saepe non nisi multa opera excitari posset. Quod ad cetera, imprimis ad sensuum organa attinet, nihil anomali animadversum est; nec

minus vis locomotoria corporis eo usque a normali non discessit.

Viginti igitur annos natus aegrotus primo animi singularem et perversam conditionem ostendit. Illo enim tempore corpus mutilandi initium fecit, quum in manu sinistra tertiam digiti indicis phalangem sibi amputaret. Quod quidem mutilationum genus per octodecim annos mirum quantum ab eo exerceri videmus, quippe qui a minoribus membris abscissis ad majora certo quidem consilio progrederetur, ita ut intra illud temporis spatium quinquies vicies vel tricies operationem repeteret. Jam primum ordinem exponam, quo singula facinora ab aegroto perfecta esse omnes unanimiter referunt. Ablatis igitur omnibus digiti indicis et medii sinistrorum singulis phalangibus, quod intra trium fere annorum spatium factum est, aegrotus jam a penitiori hujus manus mutilatione destitit, ut ad manum dextram se verteret. Cujus sensim atque articulatim digiti ita ademti et mutilati sunt, ut primae tantum pollicis et digiti minimi phalanges, hujus autem praeterea secunda phalanx relinquerentur. Quibus peractis, jam in eadem manu singulae trium ossium metacarpi exstirpationes ea ratione perfectae sunt, ut in hac manu praeter carpum digiti indicis phalanx prima et digiti minimi phalanges prima et secunda cum utroque osse metacarpi solae remanerent. Quibus quidem partibus aegrotus quin eo consilio pepercerit, ut earum ope in aliis corporis partibus mutilationem usque repeteret, vix dubitari potest. Quod vero tam exigua miseraque manus rudimenta instrumentum satis efficax reddere potuerit ad illam porro repetendam, hoc sane admirari debemus. — In tali autem manus dextrae mutilatione quinque circiter annis

consumptis, aegrotus sinistram iterum manum aggressus est, quippe cujus praeter totum metacarpum pollex et digitus annularis et minimus incolumes remansissent. Quibus in partibus jam solito more cruentum opus peragebat; metacarpi vero ossa in hac manu integra reliquit, propterea fortasse, quod eorum exstirpationem, quae in altera manu permultum laborem ei effecerit, cum parcissimis hujus manus rudimentis repeti posse non arbitratus sit. Itaque non ita multo post digitos exstinctos et ante quatuor quidem abhinc fere annos manus amputationem in articulatione carpo-radiali exsequutus est. Cujus truncus ut ad plenam sanitatem reduci posset, permultum temporis postulavit; etenim equidem, quum tempore vernali hujus anni occasionem haberem eum videndi, vulnus ulcerosum in eodem reperi, quod inde ex illa amputatione mansisse propinqui affirmaverunt. Ex iisdem compertum habeo, qua re effecta sit tam tarda vulneris restitutio. Aegrotus enim a principio omnem operam in id contulerat, ut optimam quamque vulneris ad cicatrices proferendas intentionem irritam faceret, ut qui dentium morsu granulationes novaque cicatricum rudimenta divelleret atque exstingueret. Qua re explicari poterit, cur ultimum in corpus suum impetum, id est amputationem antibrachii, non susceperit, nisi quatuor fere ab manus exarticulatione annis peractis. Ratiocinari enim licet, aegrotum novum aliquod facinus tam diu non necessarium duxisse, vel animum ad illud non coactum fuisse, quam ex alio quodam vulnere laboraret, quasi hac re in infelici ejus se violandi cupiditati satisfactum fuisset. Et iterum fortasse aegrotus, quamvis vehementer cruentum opus continuare cuperet, tamen novum, quem majorem gravioremque fore opinatus

sit, impetum quodammodo timuerit eandemque ab causam, ne interea singulari voluptate penitus careret, vulnus illud quam longissime sibi conservare studuerit. Jamque non mirum videtur, quum persuasum haberet, se vulneris restitutionem longius prohibere non posse, in novum denique facinus eum processisse, immani coactum illo animi impetu, cui et antea resistendi nullam habuerat vim. Atqui amputationem ultimam in medio antibrachio perfecit sexta fere ante obitum suum hebdomade. Truncus autem in mortuo illo secando observandus venit; de quibus accuratiorem infra dabimus descriptionem.

Sequitur, ut de via ac methodo disseramus, qua in singulis operationibus perficiendis usus sit aegrotus. Quae res quod prorsus paene ignota videtur et quasi in densis tenebris latet, dolendum est; etenim propinqui ipsi nihil de ea referunt. Quin etiam plurimae illarum operationum quo tempore perfectae sint, non satis constat. Ipsam antibrachii amputationem factam esse, non prius in conspectum venit, quam mortuus aegrotus veste exuebatur; quamquam ancilla quaedam eam suspicata erat ex causis infra commemorandis. Quae quidem eximia illius rei consanguineorum ignorantia, quamquam sane turpissimae eorum in miserrimum hominem negligentiae testimonium videtur, nemo tamen eam mirabitur, qui infaustissimas illius domi conditiones respexerit. Afferam igitur brevia, quae de locis et temporibus, de instrumentis omnique apparatu, de omnibus ceteris conditionibus, quibus aegrotus noster operationes instituit, vel scimus vel opinari possumus. Semper, quibus illas exsequeretur, loca quam occultissima abditissimaque sibi elegisse et omnia facinorum vestigia exstinxisse videtur, quum haec nunquam inventa sint. Quod

ad instrumentorum apparatum attinet, quo usus est, duae tantum res prostant ad illum referendae. Dico cultrum aliquem tonsorium, vetustum, ferrugine sanguinisque maculis obtectum, et lorum e corio factum, angustum, fibula ferrea munitum; quae instrumenta in iis, quae reliquerat mortuus, inventa sunt. Sed num cultro re vera usus fuerit, incertum est, et conjectura tantum id suspicari possumus; de loro autem quin res ita se habeat, ex iis, quae infra afferam, dubitari non potest. Semel autem accidit, ut phalangis alicujus ablatio vix perfecta in apertum veniret. Agrotus enim ut eam perficeret, a coena familiari subito se removerat. Tum redux et aequissimo vultu, quasi nihil interea factum esset, iterum coenam continuans, quum manum alteram (jam violatam) non praeter solitum vestimentis obtectam teneret, facile omnes praesentes decepisset, nisi sanguinis magna copia per vestimenta profluens commissum facinus indicasset. Illo tempore num cura aliqua aegroto data sit, non cognitum habeo, ac probe sunt, ex quibus credam, nullam datam fuisse. — Praeterea manus sinistrae amputationem constat in pascuo ab illo peractam esse, quum ipse bovium pastoris munere fungeretur. Propinqui enim mirati, quod solito tempore cum bovibus domum non rediisset, quum ipsi quaestum eum vel pecora exiissent, invenerunt eum humi cubantem, exsanguem, gravi syncope oppressum. Antibrachium autem sinistrum desuper solo infixum terraque firmiter apposita circumdatum tenebat. Quo e terra protracto, truncus recens, nudus, cruentus in eo apparuit. Vulnus ipsum, quamquam omni vinctura carebat, tamen sanguinem ultra non emittebat; sed locus, ubi jacuerat aegrotus et hujus vestimenta multo sanguine perfusa erant.

At illum in vitam revocatum tam exhaustis surrexisse dicunt viribus, ut ingredi non posset et in carro domum veheretur necesse esset. Instrumenta, quibus usus sit, rebus vix peractis vel procul abjecisse vel loco aliquo abscondito reposuisse videtur, quum a nemine inventa sint. Itemque membrum ablatum, quamvis diligenter ab omnibus quaesitum, inveniri non potuit. Tum vero propinquos hunc casum occultasse verisimile est, quum in pago vix innotuerit; certe quidem medici cura nulla petita est. Quantum constat, sanguis postea ex vulnere nullus profluxit; omnino de ulteriori vulneris habitu statuque, quem primis post amputationem obtinuerit mensibus, omnis deest observatio, quum aegrotus solus curam administrasset, quin etiam caute prohibuisset, quominus ab alio quodam vulneris fieret inspectio; quam quidem etiam a nemine unquam petitam esse, suspicari licet. Lecto aegrotum propter hoc vulnus non affixum, primis tantum post id sibi illatum diebus praeter morem tranquillum fuisse dicunt, quum ad quotidianos labores non accederet totumque paene per diem in foco sederet, truncum pannis sordidis involutum semper in vestimentis abditum teneret, nec vultu vel gestu quidquam ostenderet insoliti. Paucos igitur dies, postquam violatus est, ad consuetos labores revertit. Ex quibus omnibus satis elucere videtur, vulnus illud in universum corporis statum vim exercuisse prope nullam, si quidem omnino aliquam exercuerit. Compluribus denique mensibus praeterlapsis, truncus saepius a propinquis cerni coeperat, quum hic modo jam dicto vulneris restitutionem prohibere conatus esset.

Jam omnia, quae de illis rebus affirmata referenda sunt, eaque sane perpauca esse vides. Etenim quum pro-

pinquorum parcissima suppetat narratio, aegroti ipsius prorsus nulla exstat. Quamvis cum amico Reismanno conjunctus et dolosis verbis et precibus et ipsis minis magnopere eum adgressus sim, ut plura confiteretur. Ex omni quaestione his verbis se expedivit: nescire se, quonam modo membra sua amitteret; subito mente se destitui tumque ad sanitatem reversum membrum aliquod ablatum videre. Quod utrum mendaciter dixerit et doloso quodam consilio, ne amplius perquireretur, an ipsius animus adeo eum fefellerit, ut ipse illud crederet, longum est hoc loco accuratius disserere. Equidem priorem sententiam probo, quum ex omni aegroti observatione non possim, quin persuasum habeam, eum probe sui conscium fuisse, imo etiam consulto et cogitate proposita persequutum esse. Id memorabile est, quod tam saepe graviterque violatus illud periculum, ne sanguinis nimio profluvio periret, sustinere potuerit, imprimisque in manu et antibrachio abscindendis, utpote quibus ampliorum vasorum lumina penitus aperirentur. Quod ipsum mirum videtur, si omnes illas conditiones respicimus, quibus certe pessimis curationem aegroti graviter offendi et maximo discrimini submitti necesse erat. — Quantacunque vero illius vulnerum fuit negligentia, hoc certum videtur, tanta pericula eum superare non potuisse, nisi ea quodam modo cognovisset et certis praesidiis arcere studuisset. Sed mox afferam, e quibus satis elucebit, eum probe cognovisse et repulisse pericula.

Eorum, quae de minoribus laesionibus, id est de phalangibus digitisque resectis, comperta habemus, nihil reperimus, ex quo credamus, illum ad prohibendam sanguinis effusionem vel inter operationem vel postea apparatu quo-

dam artificiali usum esse atque omnino huic rei praecipuam operam navasse. Statuere licet, potuisse eum pannis lineis appositis, quod remedium in levioribus laesionibus a populo adhiberi solet, sanguinis profluvium prohibere. Sed in manus exarticulatione, quamvis rudem in modum, consulto tamen haemorrhagiam impugnasse eum vidimus, quum truncum cruentum in terra tanquam in compressorio defixisset. Imo denique in antibrachio amputando cultiorem quendam apparatum adhibuisse eum cernimus. Dico lorum supra commemoratum, quod circum eum antibrachii locum, quo amputare voluit, circumjecit. Quod quamquam nemo oculis vidit, tamen ita se habere ex illis, quae de mortuo secto referenda supersunt, satis perspicuum erit. Quin etiam id evidens erit, aegrotum loro non solum inter operationem ipsam usum esse, verum etiam postea per longius tempus idem gestavisse. Neque abest suspicio, quin inde a manus exarticulatione perfecta, in qua propter sanguinis perditi magnam copiam vitae periculo pressus fuerit, persuasum habuerit, melius quoddam sibi opus esse praesidium. Sed quatenus omnino de ligaturae in sanguinis profluvia efficacitate notionem habuerit, nescimus.

Certe methodus singula membra amputandi quam incultissima erat; praecipue aegrotus ossium violatorum partibus mollibus collectis protegendorum nullam videtur rationem habuisse, quod non modo ex cicatricum, quae in manu dextra supererant, singulari forma ac habitu, sed etiam ex ipso antibrachii trunco, qualis in mortuo conspectus est, effici videtur. Quae vero res utcunque se habet, sane admodum mirari debemus, quomodo contigerit aegroto, ut manu sinistra, quippe cujus tres tantum digiti superessent, exstirpationem ossium metacarpi in manu

dextra perficeret; iterumque hujus manus parcissimis rudimentis — suppetebat autem in ea nihil praeter unam pollicis et duas digiti minimi phalanges — ulteriorem manus alterius mutilationem, imo tandem ejus exarticulationem et antibrachii ablationem exsequi potuerit. Nolim autem et lectoris benevoli et meam ipsius patientiam temere tentare, id animo consectans, quibusnam fortasse aptioribus instrumentis admodum mancam ipsius manus machinationem correxerit imprimisque ossa antibrachii continua penetrarit. Hisce enim rebus nec morbi historia nec mortui inspectio quidquam affert lucis. Miramur quoque videntes, communem aegroti nostri valetudinem tot tantisque laesionibus illatis nihil propemodum affectam fuisse; quamquam omnino, qui ejusmodi laesiones tulit, hominis vita in maximum periculum incurrere solet. Ancilla autem illa, quam de antibrachii ablatione peracta suspicionem habuisse jam supra diximus, haec fere retulit, quibus ipsis ad suspicionem illam se deductam esse contendit: Primis post laesionem, quam ipsa suspicata erat, diebus aegrotum matutino tempore solito diutius lectum obtinuisse tumque surgentem ad consuetos labores non accessisse, sed quiete otioseque in foco sedisse. Vultum solito pallidiorem et ciborum appetitum paulo minorem fuisse, quamquam aegrotus a more, in mensa communi sedendi, non discessisset et singulare aliquod ciborum genus sibi non vindicasset. Quum ex eo quaereretur, num imbecillus esset, hoc negavit et medicum advocari strenue vetuit. Membrum violatum non praeter consuetudinem vestimentis absconditum tenebat. Octo diebus praeteritis, plane convaluisse, sed deinde odorem tam foedum edidisse dicitur, ut consanguinei in ejus vicinia morari haud potuerint. Porro nar-

ratur, ab eo tempore pertinaciter eum recusasse, ne post hebdomadem peractam interulam permutaret, quod quidem re vera usque ad mortem, quam post quadraginta fere dies occubuit, non amplius fecit. Ex quibus omnibus satis patere videtur, corpus illius gravissimarum, quotquot tulit, injuriarum egregiam habuisse patientiam. Neque etiam ejus animus facinorum conscientia affectus fuisse videtur, quum nec tristis unquam nec talis apparuerit, qualem facinorum poeniteret. Saepenumero ab aliis admonitus, ne ultra pergeret, quoniam coloniae paternae capessendae impotentem se faceret, a proposito non destitit. Nihilominus rerum rusticarum crepundiorumque amor in eo persistebat; itaque vel in equis bovibusque curandis, vel in curru regendo, vel in aliis ejusmodi rebus administrandis versatum eum videmus, quantumcunque manuum brachiorumque rudimentis versari poterat.

Jamque illis, quae ad mutilationis ipsam historiam pertinent, descriptis, nonnulla annectere licet ad illam referenda, eaque non levia. Itaque quum jam superiori loco de eo conamine locutus sim, quo aegrotus vulneris illius, quod e manu resecta remanserat, restitutionem quam longissime protrahere studebat, ad hoc adnotandum est, idem eum fecisse in aliis qualibuscunque vulneribus fortuito acceptis. Quod vero haud raro tulerit vulnera, mirum videri non potest. Nam quum is, qui justo manuum usu caret, quodammodo inops fiat et ineptus ad adversaria quaedam noxiaque propellenda, fieri non potest, quin saepius et multimode violetur. Itaque accidit, ut ille posteriori quidem vitae tempore saepe ex ejusmodi vulneribus laboraret. Imprimis ex vulnere aliquo, quod in regione temporali sinistra gerebat, per decem circiter annos per-

multum negotii habuisse dicitur, quippe in quod manca debilique manu ita interdum invectus esset, ut multum sanguinem eliceret. Nemo autem recordari potest, aegrotum unquam dolores, quos in vulneribus senserit, questum esse. Ipsam quandam manus dextrae gravissimam combustionem lacte fervido effectam nullum doloris signum secutum esse, imo etiam aegrotum ne moleste quidem eam tulisse referunt. Ex quibus satis emergit, sensum in illo dimminutum vel etiam nullum fuisse, quoniam non esse videtur, cur dolorem dissimulasset, si sensisset. Id unum lugendum est, quod certiori de hac re observatione caremus, quum ille omnem accuratiorem sensus indagationem fortiter recusaret.

Restat igitur, ut de corporis habitu, de vultu gestuque aegroti deque ejus mente ac indole, qualia a me ipso observata sunt, nonnulla exhibeam. Equidem igitur quum anno fere ante ejus mortem aegrotum primum viderem capite pectoreque protensis, facie perquam turgescente, oculis ex orbita projectis, labiis pendulis tumentibus, vultu plane stupido, subsidentem in foco et mutilata membra anxio gestu profundis vestimentis tegentem, jam singularem insaniae imaginem quandam conspicere mihi visus sum. Neque etiam illius loquela huic opinioni non favere videbatur; erat enim tarda, gravis; verba audiebantur abrupta, quasi devorarentur, et ictu acuto protrusa. Aeque gravem et inhabilem aegrotus in toto corpore movendo se ostendit; ingrediens praecipue id vitiosi obtulit, ut superiorem corporis partem nimis projiceret, dextrum humerum sinistro humiliorem gestaret, quamquam scoliosis nulla aderat, dextrum crus singulis passibus non penitus extenderet, sed versus femur paulo inflexum teneret, quo factum est,

ut anterior pedis pars in terra proveheretur, quum calx e calceo promineret. Quae omnia ad debilitatam motoriam corporis vim referre licet atque ita, ut animi ipsius ad movendum corpus vigorem et impetum justo minorem fuisse arbitremur, quum in musculis quidem paralysin quandam vel paresin inesse non invenerimus. Etenim aegrotus jussus humerum elevare et superiorem corporis partem rectam reddere et crus dextrum extendere, probe perfecit. Illa autem corporis movendi ineptia gravitasque tempore matutino, quum aegrotus e lecto surrexisset, majorem se praestitit; ille enim hoc tempore ingrediens non potuit, quin cujusvis generis res, quae forte obviam ei venirent, corpore offenderet. Quod malum inde a decimo ante ejus mortem anno paullatim apparuisse fertur.

Jam supra non omisimus, quantum displicuerit aegroto, de se ipso sermonem aliquem facere. Ad alias vero res, imprimis rusticas, disceptandas propensior fuit. Ex colloquio igitur tum temporis cum illo instituto probe mihi persuasum habeo, de tempestate, de frugum statu pretioque, de pecuaria ceterisque ejusmodi, item quarumcunque domesticarum rerum bonam notitiam eum habuisse justumque judicium. Quare nihil impediri mihi videor, quominus pro talibus rebus, ad quales praecipuo quodam amore se applicabat, qualibusque ex parum culto doctoque animo par erat, sanum ei vindicem intellectum et judicium. Ex quibus porro concluserim, perfectam animi mentisque alienationem in aegroto non fuisse. Quamquam sane inerat alienatio singularis, quippe ex qua nova illa et inaudita profecta sint, quae supra retuli, facinora. Quam quidem paulo accuratius dignoscere jam nobis propositum est.

At pridie Idus Octobres hujus anni, postquam copiosum

prandium sumserat nihilque antea questus erat et quum jam in eo esset, ut valde propenso corpore ex loco quodam humili aliquid tolleret aegrotus, repentina morte abreptus est. Propinqui celeriter aggressi jam exanimem eum invenerunt.

Jam igitur id animo meditantes, quibusnam causis aegrotus noster ad immanem sui corporis mutilationem impulsus sit, ex omni morbi historia facile intelligimus, ad animi alienationem quandam illas referendas esse. Sane facta ipsa hanc sententiam tantopere confirmant, ut disputatione vix opus sit. Atque ipse quum de hac re a principio nihil dubitarem, non posse mihi videbar, quin compluribus narrationis locis, qui quidem idonei videbantur, sententiam illam exhiberem. Sed nihilominus jam reliquum est, ut paulo amplius eam exponamus et ad morbum ipsum accuratius dignoscendum animum advertamus. — Vix igitur necesse videtur quaeramus, num fortasse externis quibusdam causis ille ad corpus mutilandum excitatus sit. Sane apud populum sunt causae certae externae, quibus mutilationes haud raro suscipiuntur, exempli gratia si quis phalangem quandam vel totum digitum sibi resecat, ut a militiae necessitate liberetur. Quod vero consilium aegrotum nostrum non habuisse in promptu est, quum non intelligamus, cur, quod semel factum satis fuisset, quinquies vicies vel tricies repetierit. Ceterum in vita ejus nihil invenimus, ex quo judicetur, abhorruisse eum a militia, de qua fortasse ne cogitaverit quidem. — Num vero porro interest quaerere, possitne in sano hominis animo ipso motus quidam exsistere proclivitasque ad talia facinora? Quod mehercle persuasum habeo neminem esse,

qui credat, quique ampliorem de hac re dissertationem requirat! En igitur disputatio eo progressa, ut ad insanam aliquam animi conditionem illa aegroti facinora possimus referre. Quae quidem insana conditio gravissima amplissimaque videtur. Primum aegrotum iterum ac saepius in facinoribus versari videmus, quae non dubium est quin ex voluntate valde turbata profecta sint. Itaque quum unum solum facinorum genus voluntas petat, monomaniacum illum significare debemus. Quaeritur autem utrum primitus voluntas turbata sit, an secundario, id est utrum insana facinora ex cupiditate quadam profecta sint originaria et invicta, an perturbatio quaedam animi vel mentis error in aegroto fuerit, quibus obruta voluntas ejus ad illa committenda determinata sit. Quam quaestionem simulatque dijudicaverimus, aut monomaniam „instinctivam," (instinctive), quam appellavit Esquirol, aut „rationalem" (raisonnante) in casu nostro licebit probare. Sed quum omni aegroti respectu nullam in eo inveniamus vel animi perturbationem vel singularem mentis errorem, nihil impediri videmur, quominus primitus voluntatem ejus alienatam arbitremur, itaque posterius monomaniarum genus apud eum statuamus. Quamquam vero monomania haecce instinctiva, quam vocant, apud auctores accuratius sic definitur, ut, quae ex ea moveantur, facinora inconsulto fiant, quum tamen aegrotum nostrum mirifice consulto et cogitate proposita perfecisse videamus, hac re judicium nostrum turbari non potest, praecipue quum apud Marcum *) legamus, in monomania instinctiva,

*) Die Geisteskrankheiten in Beziehung zur Rechtspflege. Deutsch von K. W. Ideler. Bd. I, S. 172.

si quidem cupiditas singularis altiorem quendam gradum attigerit, facinora, quae ex ea proficiscantur, consulto imo dolose aeque institui posse, ac in monomania rationali.

Jamque si ceteram animi conditionem in illo respicimus, haec minime normalis videtur. Eximia lentitudo, mancus intellectus memoriaque, pueriles mores in homine adulto, immodicus et ferus quodammodo ciborum appetitus, sensus motusque debilitati, totus habitus vultusque, qualia omnia in morbi historia penitius descripta sunt, memorabilia certe dementiae signa exsistunt. Quamquam sane non tota mens alienata videtur. Etenim vidimus aegrotum talium rerum, ad quales amore quodam praecipuo se applicuisset, satis amplam habuisse cognitionem et debitum judicium. Omnino praeter facinora ex singulari monomania profecta nihil committere eum novimus insanum, imo in insaniis ipsis permultum adhibere consilii.

At non licet statuere, morbum ipsum aegroto nostro nativum fuisse, quoniam compertum habemus, prima puerili aetate bona eum et corporis et animi fructum esse valetudine. Quamvis negari nolim, indolem quandam morbi fortasse ei innatam fuisse. Sensim ergo morbi symptomata emergere videmus. Primum in discipulo vis percipiendi perquam debilis et morum eximia lentitudo; deinde in pubescenti omnium, quae in schola didicerat, oblivio, nulla earum, quibus aetas illa carere haud solet, animi perturbationum, immodicum ciborum desiderium. Tum viginti annos natus monomaniam ostendit, qua in annos magis magisque obrutus videtur. Interea dementiae symptomata crescunt, praecipue quum inde a decimo ante mortem anno motoria corporis vis admodum debilitata appareat.

Jam denique monomania et dementia, miro quodam

modo conjunctae, quamnam fortasse inter se aluerint rationem, quin etiam quo modo, quum sane inter se confligere videantur, conciliari et ad unum animum referri queant, longum est hoc loco accuratius disputare. Nec minus, quanam ratione morbus ipse ex iis, quae in mortuo secto inventa sunt anomala, explicari possit, missum faciam, quoniam omnino hucusque talium rerum ne mediocrem quidem habemus cognitionem.

II. MORTUI INSPECTIO VIGINTI ET QUATUOR HORAS POST OBITUM INSTITUTA.

Externus corporis mortui habitus haec fere offert: In ore vultuque nullum cernitur eorum vestigium, quae in vivo insignem insaniae imaginem praebuerant. Palpebrae labiaque clausa sunt, tota facies placida et quodammodo serena apparet. Regio temporalis sinistra vulnus ostendit magnitudine thaleri, crusta subfusca crassa obductum eaque remota bonas granulationes exhibens. Manus dextra deficit, praeter primam pollicis et primam secundamque digiti minimi phalanges et utrumque os metacarpi totumque carpum. Passiva motio, quae dicitur, neque in articulationibus minoribus, neque in articulatione carpo-radiali satis expedita videtur. Loca, ubi membra ablata sunt, crassis cicatricibus significantur. In his nulla cutis, sed haecce omnibus partibus versus cicatricum copiam magnopere attracta reperitur, ita ut desuper vehementer intensa sit. Quod praecipue in manu sarticulationis regione anim-

advertitur. Etenim in hac cutis multis prominet plicis longitudinalibus strictissime extensis, inde ab inferiori antibrachii regione usque ad trunci carpalis marginem tanquam crassis chordis descendentibus. Qua ipsa re fortasse effecta sit manca articulationum mobilitas. Antibrachii dextri pars dimidia inferior deest. Cujus truncus pannis linteis sordidissimis involutus cernitur. Quibus remotis, superficies vulneraria se offert forma admodum conica, optimis granulationibus obtecta, superne jam lato cicatricum margine circumcincta. Supra hanc pollicis unius fere distantia antibrachium crusta circumdatum est tres circiter lineas lata coloreque subnigro. Qua remota, ulcus cernitur simplex cum profundiori cutis defectu. Ex cujus adspectu jam in promptu est, effectum illud esse corpore vel instrumento quodam, quod aegrotus circum illum locum firmiter circumjecerit, imo etiam per longius temporis spatium portaverit, quum aliter tam profundus decubitus explicari non possit. Itaque quum vestimenta perquirantur, lorum illud invenitur, cujus in morbi historia mentionem feci. Ex vulneris autem, quod post amputationem remansit, ipso habitu statuque censere licet, illud ante quinque vel sex circiter hebdomades exortum esse. Accuratior truncorum dissectio per propinquos recusatur. In cetero corpore externo nullae inveniuntur laesiones.

Cranii circuitus nec forma nec volumine abnormis videtur. Ossa cranii ipsa, quod ad numerum et structuram attinet, a norma non discedunt, neque ulla laesionis vestigia offerunt. Sinus durae matris permulto sanguine nigricante, perliquido, repleti sunt; ipsius vasa sanguine abundant. Superficies ejus arachnoidealis multis locis cum lamina parietali arachnoideae per fibrosa filamenta cohaeret. Gra-

nula Pacchioniana vel ossificationes, quae dicuntur, prorsus desunt; in sacco arachnoideali nullum serum; pia mater sanguinis plenissima, sed exsudatis quibusvis plane carens; cerebri sulci gyrique satis expressi, nusquam atrophici. Hemisphaeria magnitudine non inter se discrepant. Ipsa cerebrum et cerebellum digito impressa consistentiam normali paulo molliorem et cultro perscissa praeter serum aliquanto infiltratum sanguinis puncta justo majora et plura ostendunt. Foci apoplectici vel singulariter emolliti nusquam inveniri possunt. Sed ventriculos inspicientibus vitia maximi momenti apparent. Sunt enim illi repleti seri liquidi subflavi haud exigua copia et quadruplo vel quintuplo ampliores, quam statu normali reperiri solent. Quum vero jam in tota cerebri substantia nimis magna sanguinis copia reperta sit, in ventriculis ipsis immodica videtur. Quorum non solum parietes crassis vasorum striis fasciculisque abundant, verum etiam praecipue plexus choroidei sanguine repleti sunt. Ceterum in his partibus nihil se praebet memoratu dignum.

Nec denique in ceteris corporis organis quidquam gravioris momenti, imprimis in vesica urinaria nihil anomali invenitur; in ventriculo tantum id vitiosum, quod multa majorem debito habet amplitudinem crassioremque telarum structurum.

VITA.

Natus sum Henricus Gustavus Ohm Monasterii Guestphalorum a. d. VI Cal. Maj. a. MDCCCXXV, patre Henrico, matre Agnesia e gente Pokorny, parentibus dilectissimis, quos adhuc incolumes mihi servavit Deus O. M. Fidem confiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus sum Ibbenbuerenii, in quo oppido, prope Monasterium sito, pater praetoris munere fungebatur et etiamnunc fungitur. In schola privata, quam tum habebat Bernardus Meese, vir amplissimus et plurimum reverendus, literis ad vitae consilium necessariis instructus sum. Quindecim igitur annos natus ex parentum consilio ad pharmaceuticam, quae dicitur, artem animum applicui eique per decem fere annorum spatium indulsi. At paschali tempore a. MDCCCL almam petii universitatem Gryphicam eo consilio, ut literis medicis me traderem, ubi a rectore magn. Semisch in civium academicorum numerum receptus per duo semestria disserentes audivi: Ill. Matthies de logice et metaphysice, de anthropologia et psychologia, de jure naturali; Ill. Huenefeld de chemia organica et anorganica, de mineralogia, de geognosia; Ill. Baumstark de oeconomia nationali, de rei familiaris cura publica; Ill. Tillberg de physice; Ill. Schultze de osteologia et syndesmologia, de anatomia corporis humani.

Deinde ad militiam vocatus per tres menses studiis valedicere coactus sum. Quibus praeterlapsis, Berolinum me contuli, ubi examine in Gymnasio Joachimico, quod vocant, superato, maturitatis testimonio munitus sum tempore aestivo a. MDCCCLI. Tempore auctumnali ejusd. a. almam adii Universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem, inter cujus cives a rect. magn. Dieterici receptus per sex semestria hisce interfui lectionibus: Ill. Mueller de anatomia corporis humani, de physiologia hominis, de anatomia organorum sensuum, de physiologia generationis; Ill. Schlemm de osteologia; iidem duces mihi fuerunt in arte homines mortuos secandi; Ill. Langenbeck de chirurgia speciali, de articulorum, de organorum uropoëticorum morbis, de aciurgia; eundem in

cursu operationum chirurgicarum secutus sum; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Exp. Busch de chirurgia generali et speciali; Exp. Wagner de fracturis et luxationibus; Ill. Braun de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Exp. Simon de pathologia et therapia generali, de syphilide, de cutis morbis; Exp. Traube de auscultatione et percussione; Exp. Remak de histologia, de evolutione corporis humani; Exp. Meckel ab Hemsbach de anatomia pathologica; Exp. a Graefe de ophthalmologia, de ophthalmoscopia; Ill. Casper de medicina forensi.

In exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis duces mihi fuerunt: Ill. Langenbeck, Romberg, Schoenlein, Busch, Exp. a Graefe, Traube, Simon.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Langenbeckium probo, qui labii fissi operationem in infante neonato instituit.
2. Resectioni articuli genu amputationem femoris supra condylos instituendam praefero.
3. Errant, qui talipedem varum congenitum ad primariam ossium difformitatem referendum censeant.
4. Veterum crises haud rejiciendae.
5. Platonis illud: „*Σῶμα σῆμα ψυχῆς*“ non tam in vero est, quam *σώματος σῆμα ψυχή*.